

[METELLUS - Colonia -
1598 -]

1598

2125

ІНСАЛІВАЕ АЛЯСКА



Meridies

U S

Scala leucarum

LXII 93

BSG

GGG

INSVLAE AZORES.

CAssiterides, vulgo Acores seu Flandricæ insulæ, septem sunt, S. Mariæ, S. Michaelis, Tercera, Graciosa, S. Georgij, Pico, Faial, quibus accedut alia geminæ Flores & Cuervo: quæ quidem olim inter Acores non numeratae, hodie tamen eidem dominio subsunt: ita ut universæ iam novem statuantur. Acores ab Accipitribus seu Nisi, qui primo inventionis tempore, magno ibi numero visebantur, dicuntur: Flandricæ quoque nuncupantur, à Flandris Belgis, qui primi insulam Faial incoluerunt, quorumadhuc hodie certè familiæ illustres sunt, Belgarum ingenium, mores & consuetudinem apprimè representantes, torrentiq; loco quem incolunt, manet nomen Flandrorum, vulgoq; Ribera de Flamencos dicitur. Caput insularum Tercera est, de qua plura, in peculiari quam occupat Tabula; S. Mariæ insula 12. mill. distat ab insula S. Michaelis 10. aut 12. milliarium circuitu: nullo commercio præter quam figurinæ terræ celebris; Glasto enim seu pastello caret: Ea tamen, quæ ad viatum necessaria sunt affluunt. A Lusitanis habitat. Hispanis præsidariis non tenetur, quod scopulis immanibus circumdata, ab incolis satis superque servari queat.

S. Michaelis insula, in longitudine pene 20. mill. habens, vicos mansionibusque frequens est. Lusitani eam colunt, eodemque aere, similibusq; rebus ut Tercera fruitur. Præcipua vrbis Punta Delgada dicitur, in qua Britannorum, Scotorum ac Gallorum maior frequentia, quam in Tercera, Glasti, ob eiusdem ibidem eximiam copiam, supra bis centena Quintallorum millia, singulis annis ibi distrahitur: Frumenti quoque feracissima est, ut sèpe aliarum insularum inopiam sublevet. Nullos eadem portus habet: Altum vndique mare fremit, minusque tutum est, quam circum Terceram: at nullum ibi propugnaculum prohibet, quo minus ingruente tempestate, plenum Oceanum petant naves, periculi vitandi causa, quod circa Terceram non conceditur: ideo advenarum classem S. Michaelis insulam libenter petunt; Vexillum item Hispanorum ad custodiæ vrbis Delgadæ, arcem servat.

Graciosa insula 7. aut 8. mill. Tercera distat, 5. aut 6. millaria duntaxat complectens: Amena admodum ac iucunda est, fructusque fert varios, quibus Terceram ipsam, instruit. Lusitanos habet incolas, nullos vero custodes milites: quod ob exiguitatem, præfidij sumptus ferre nequiret.

S. Georgij insula, à Tercera post 8. & 9. mill. conspicitur, longitudine supra 12. mill. arcta tame, duorum aut trium milliarum latitudine. Montibus frequens est & sylvis. Glasti aliquid habet. Incolæ agros colunt: fructusque subinde Terceram devehunt Cedrum arborem abundè fert insula: eius ligna à Terceræ artificibus, qui situs causa ibi degunt, valde expetuntur.

Faial insula, à S. Georgij, ad Africum est, 17. aut 18. millaria continet, post Terceram & S. Michaelis tertio loco celeberrima: nam omnium rerum ad viatum necessariarum abundantia præstat. Armentis & piscibus adfluit, ipsamque vel Terceram instruit. Glastum item habet, ac ab Anglis ideo frequentatur. Statio præcipua circa hanc insulam, apud Villam Dorta est, ibi etiam naves vasto mari obiectæ sunt. Civitati arx parum firma adiacet. Plurimi hic Belgæ habitant, verum iam longa consuetudine Lusitanica lingua vtentes.

Pico insula 15. mill. longituden habet à monte Pico, qui altitudine montem Pico Canariæ superare dicitur. In insula Tercera sereno cœlo conspici facillimè potest, ut vix uno millari distare videatur, cum 25. fere millia. distantia computetur: nara in extremitate insulæ, Fayal versus situs est mons: Eius vertex ultra nubes tendit, cum mons nubibus cœli, & Horizonte tectus sit. Fama huic insulæ ideo magna, quæ fructifera est, & lignum fert copiosè: Cedrum nempe, ac prætosum illud, quod Teixo vocant. Regium lignum est: nam & regio editio cavetur, ne quis illud violet, cum ministri regij duntaxat eius secandi curam habeant. Est duritie summa, colore introrsum rubro, coccineo vndulato, pulchritudine eximia, quæ tempore etiam augetur. Hic & naves fabricantur, ob ligni copiam. Pecora habet, ac vini multum, fructusque præstantissimos, inter quos & mala aurea, sapore excellenti, Terceræ ac Lusitanæ hominibus summopere expetita.

A Flores insula, Terceram usque 70. mil. numerantur. Septem mil complebitur, nihilque commercio dignum fert præter Glastum. Pecudes nutrit copiosè, patetq; omnibus advenientibus etiam Anglis, quod incolæ eos arcere nequeant.

Corvo exigua insula à Lusitanis habitata à Flores exiguo millari distat, in circuitu tria aut duo millaria continet. Circa hanc, & insulam Flores, aut circa eas, Anglorum naves ferè continuo versantur, expectantes classes Indiæ Occidentalis: nam illis hæ, ex Flandricis insulis primum apparent. Incolæ parum inde feliciter vivunt, obiecti prædationibus ac bonis sèpe exuti.



3689

Comprado em 27/11/1992 no
M. Grilo em Londres

Aviso - METELLUS - COLOMNA - 1598

H75